

delegare, antequam contra ipsum recusatio proponatur. Et si quidem causam alteri commiserit in totum, recusari ulterius, aut facta per eum commissio, sive subdelegatio impugnari non potest: secus, si in parte solum commisisset, atque aliquid de jurisdictione sibi reservasset. Patet hoc ex cit. c. *Judex*. h. t. in 6. et amplius tradit Barbosa ibid. n. 3. et seqq. alique doctores.

151. *Et pronuntiata super eam sententia.* — Et additur, « pronuntiata super eam sententia. » Nam post propositam etiam recusationem, atque hanc jam probalam, nondum in totum extinguitur jurisdictione talis delegati suspecti: quia potest adhuc causam illam alteri committere, non quidem se solo, sed accedente recusatoris assensu. Secus, si super causa suspicionis jam fuerit pronuntiatum, atque judex delegatus sit suspectus pronuntiatum: quia tunc omnino desinit esse judex, ita ut nec de consensu recusatoris possit causam illam alteri committere, seu subdelegare. Patent hæc omnia ex cit. c. h. t. in 6. et tenet communis doctorum.

152. *Causa recusationis judicis delegati regulariter debet tractari per arbitros.* — Resp. II. Causa recusationis judicis delegati, seu an suspicio contra ipsum objecta sufficienter probetur, regulariter per arbitros ad hoc a partibus eligendos tractari, ac definiri debet. Ita habetur in c. *Suspicionis*, 39, h. t. Ubi idcirco additur, quod ne forsitan negotium principale plus debito protrahatur, possint dicti arbitri assignare partibus competentem terminum ad probandam suspicionis causam, et si ipsimet arbitri fuerint discordes in sententiando, iidem ut in unam sententiam conveniant, vel tertium concorditer advocent, per eundem judicem delegatum sint cogendi.

153. *Exceptis tribus casibus: et quibus?* — Dicitur nolanter in data conclusione, *regulariter*. Nam fallit ipsa in tribus casibus, c. *Si contra*, 4, h. t. in 6. expressis, in quibus causa suspicionis non coram arbitris tractari debet. Primus est, quando recusatur unus ut suspectus e duobus delegatis Papæ cum clausula, « Quod si ambo interesse non possunt, alter eorum in causa procedat: » nam tunc eorum altero condelegato non recusato, causa suspicionis proponenda, et probanda est. Secundus est, quando recusatur delegatus episcopi: quia tunc causa recusationis coram episcopo est probanda. Tertius casus est quando recusatur officialis episcopi: et tunc

idem est dicendum, haud obstante, quod ad episcopum ab ejusdem officiali appellari non liceat.

154. *Dantur nonnulli alii modi, quibus officium judicis delegati cessat.* — Tacentur nonnulli alii modi levioris difficultatis, quibus finitur officium judicis delegati. Ut fit, si plures delegati simpliciter dati sint, ac unus eorum moriatur: expirat enim etiam potestas cæterorum, c. *Uno delegatorum*, 42, h. t.; vel si unus plurium delegatorum incidit in impotentiam juris, vel facti, nec est apposita illa clausula, « Quod si non omnes, » etc. arg. c. *Sciscitatus*, 14, de *Rescript.* ac notat Hostiensis in *Summa*, n. 11, h. t. Item, si litteris delegationis delegato oblatis, partes contestentur litem coram judice ordinario: nam facta per hunc citatione partium, perpetuatur jurisdictione ipsius, arg. c. *Gratum*, 20 et c. *Licet undique*, 30, h. t. Partes enim tunc tacite censentur renuntiasse factæ delegationi, ubi litem, secuta hujus contestatione coram judice ordinario, coeperunt, arg. l. *Ubi acceptum*, ff. de *Judiciis*. Hostiensis, cit. num. 11. et num. 8, §. *Quid ergo si libellus*.

§ VII.

DE APPELLATIONE A JUDICE DELEGATO, VEL SUBDELEGATO; UBI ET DE CONSERVATORIBUS.

155. *Potest appellari a delegato, vel subdelegato.* — Quæritur I. An a delegato, vel subdelegato, possit appellari? Resp. I. Certum est, quod a delegato, etiam Papæ, ac sententia per ipsum lata, qua quis injuste se gravatum existimat, appellari liceat: dummodo is non sit datus cum clausula, ut procedat « Appellatione remota, » nec aliud quid obstet appellationem removens. Patet hoc ex c. *Super questionum*, § *Verum*, et seqq. h. t., cum similibus. Accedit ratio: quia appellatio est species quædam defensionis, c. *Cum speciali*, 16, § *Porro de Appellat.*, sicque jure naturæ omnibus regulariter permissa esse debet: nisi ex specialibus rationibus princeps, ut puta Papa, cuipiam causam duxerit delegandam sub clausula illa, « Appellatione remota; » vel ob alias causas jura litigantibus appellationem denegent: de quibus Glossa, in c. *Romana*, de *Appellatione*, in 6, ac suo loco amplius dicitur.

156. *Et quid de delegato Papæ dato cum clausula, Appellatione remota. Et subdelegato*

per ipsum? — Resp. II. Quamvis a delegato Papæ dato cum clausula, « Appellatione remota, » appellari non possit, nisi ubi istud a jure expresse indulgetur, ut c. *Pastoralis*, 53, de *Appellationibus*, juncta Glossa, §. *Expresse*, et doctores ibid.; si tamen delegatus ille alteri causam, vel partem ejus subdelegaverit, licitum est ab hoc subdelegato appellare. Ita desumitur, ex cit. c. *Super questionum*, § *Si vero*, h. t., ac notat Abbas, ibid., n. 3, cum communi; inde concludens, quod delegatus Papæ cum clausula, « Appellatione remota, » non possit subdelegare cum dicta clausula. Ratio est: tum quia hoc videtur esse privilegium personale, eo quod princeps, confusus de industria personæ delegati, commiserit illi causam examinandam sub clausula illa, « Appellatione remota: » unde istud non est transmissibile in tertium, sive in subdelegatum; tum quia delegare cum clausula, « Appellatione remota, » est proprium supremo principi, puta Papæ: cum iste solus contra jura appellationem permittentia rescribere, hancque removeare valeat, non item ejus delegatus. Engel, tit. de *Appellat.*, n. 35.

157. *A mero executeore sententiæ nequit appellari.* — Resp. III. Nihilominus a mero executeore sententiæ, seu cui nudum ministerium absque jurisdictione, seu causæ cognitione committitur, appellari non potest; nisi forte modum excesserit. Ita desumitur, ex d. c. *Super questionum*, § *Nos autem*, h. t., juncta Glossa, §. *Executeorem*, et Abbate, ibid., n. 11, ac aliis. Quia enim talis mere exequitur, quod sibi injunctum est, non possum prætere gravamen contra ipsum (nisi modum excedat), sed si sentio me gravatum, debeo appellare a committente, qui id jussit executori. Concordat, l. *Ab executione*, c. *Quorum appellat. non recip.*, et can. *Ei qui appellat.*, 2, q. 6, § *Ab executione*.

158. *Quando judex ordinarius causam delegavit, semper est appellandum a delegato ad delegantem.* — Quæritur II. Ad quem sit appellandum a delegato, vel subdelegato? Resp. I. Quando judex ordinarius causam delegavit, semper est appellandum a delegato ad delegantem, vel ejus successorem in officio. Textus est in l. 1, ff. *Quis et a quo appelletur*, et l. *Imperatores*, § 1, ff. de *Appellat.* Et hoc procedit, sive dein judex ordinarius totam causam delegaverit, sive partem tantum: quia, licet totam causam deleget, non tamen potest totam jurisdictionem a se abdicare, cum eam habeat propriam, et stabilem vi sui officii; unde adhuc a

delegato ad ipsum appellari valet. Pirbing, h. t., n. 107.

159. *Sicut et a subdelegato appellatur ad delegatum Papæ subdelegantem non in totum.* — Resp. II. Quando delegatus causam alteri subdelegavit, non tamen in totum, sed reservata sibi jurisdictione aliqua, v. g. sententia, vel saltem executione hujus; tunc pariter a subdelegato appellatur ad delegatum illum, qui subdelegavit: adeo quidem, quod si subdelegans fuit delegatus Papæ, regulariter non possit immediate appellari ad Papam: secus, si is subdelegasset causam in totum, nihil sibi de jurisdictione reservando, quia tunc a subdelegato appellatur ad primum delegantem, sive ad Papam. Patet hoc totum, ex d. c. *Super questionum*, § *Porro*, h. t., ac notat Glossa, ibid., et Abbas, n. 4, solventes contraria. Prima pars habetur etiam, in c. *Si subdelegatus*, 7, h. t., in 6, et l. un., c. *Qui pro sua jurisdic.*, nam, cum talis delegatus aliquid de jurisdictione sibi reservavit, merito ad ipsum, veluti immediatum judicem, appellari potest, et appellatur.

160. *Adeo, quod a tali subdelegato regulariter non possit appellari ad Papam.* — Altera pars, nempe quod in dicto casu regulariter (quod additur ob dicenda, num. 164 et seq.) non possit a subdelegato immediate appellari ad Papam, præter cit. § *Porro*, habetur quoque in c. *Cum te consulente*, 18, h. t., juncto Summario, Abbate, Barbosa, aliisque doctoribus ibidem. Ratio est: quia delegatus Papæ, qui subdelegavit non in totum, sed aliquid de jurisdictione sibi reservando, adhuc remanet judex, et gerit vices ipsius Papæ, atque in eo honoranda est potestas papalis, c. *Sane quia*, 11, h. t., cum concordantiis: et hinc, tum ad ipsius delegati honorem, tum ad parcendum partium laboribus, et expensis, Pontifex decrevit, ut in tali casu ad ipsum delegatum, non vero ad Papam, immediate appelletur. Vivianus, in *Rationali jur. canon.*, ad cit. cap. xviii, *Cum te consulente*. Quinimo in dicto casu temeraria foret appellatio ad personam Papæ: utpote quæ jam representatur, et habetur in persona sui delegati. Abbas, in d. c. *Cum te consulente*, num. 1, h. t.

161. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, can. *Ad Romanam*, 2, q. 6, cum similibus, ubi de omnibus mundi partibus, atque omisso medio, potest immediate appellari ad Papam, veluti communem omnium Patrem. Nam hoc procedit regulariter: fallit autem in præfato

casu, ob allegatam rationem specialitatis, ac provisionis Apostolicæ.

162. *Secus, si appelletur a subdelegato alterius delegati.* — Quod si vero appelletur a subdelegato alterius delegati, quam Papæ, v. g., a subdelegato delegati alicujus episcopi ad universitatem causarum, nihil impedit, quominus omisso medio, seu dicto delegato, immediate appelletur ad Papam: quia tunc cessat præmissa ratio specialitatis, ac provisionis Apostolicæ; cum talis delegatus episcopi non repræsentet personam Papæ. Decius, *ibid.*, n. 1; Pirhing, h. t., n. 110.

163. *Quando delegatus Papæ subdelegavit causam in totum, non appellatur ad ipsum, sed ad primum delegantem, seu Papam.* — Ultima tandem pars probatur ex eo: quia delegatus Papæ subdelegans causam in totum, ac nihil de jurisdictione sibi reservans, desinit esse iudex respectu talis causæ; unde quia caret omni jurisdictione respectu hujus, frustra et inaniter ad ipsum appellaretur, ac proin necesse est appellare ad primum delegantem, puta ad Papam. Nec obstat, quod ad ordinarium appelletur, etiamsi ipse totam causam alteri delegasset, ut dictum n. 158. Non obstat, inquam, quia, licet iudex ordinarius totam causam delectet, non tamen idcirco totam jurisdictionem a se abdicat, nec abdicare valet, cum eam vi sui officii habeat propriam, et stabilem: unde non mirum est, quod ad ipsum, veluti jurisdictione præditum, appellari valeat. Secus est in dicto delegato, qui cum propriam jurisdictionem non habeat, sed demandatam solum, potest eam in totum abdicare, et abdicavit.

164. *Enumerantur casus, in quibus a subdelegato appellatur ad Papam, licet ejus delegatus subdelegasset non in totum.* — Resp. III. Licet regulariter a subdelegato sit appellandum ad delegatum Papæ, qui subdelegavit non in totum, ut *ibid.*, n. 159 et 160, fallit nihilominus hoc ipsum in certis casibus, in quibus ad primum delegantem, seu Papam appellari potest, ac debet, non vero ad ejus delegatum subdelegantem. Ita communis; et patet inductione, enumerando tres tales casus in jure expressos.

165. I. *Quando talis delegatus Papæ postea incurrit excommunicationem majorem.* — Primus est: Quando ejusmodi delegatus Papæ subdelegans non in totum, postea incurrit excommunicationem majorem: quia durante tali impedimento, si a subdelegato appellari contingat, appellandum est ad Papam; ne alio-

quin expectando absolutionem delegati subdelegantis, præjudicari litigantibus, et causa plus æquo prorogari valeat. Textus est, in c. *Si is cui*, 10, h. t., in 6, juncta Glossa, et doctores *ibidem*.

166. II. *Si ejusmodi delegatus Papæ interim moriatur.* — Secundus est: Si talem delegatum Papæ, subdelegantem non in totum, interea temporis mori contingat: idque procedit, quamvis delegatio facta sit dignitati, et non expresso nomine. Ratio est, quæ supra, ne videlicet, donec successor eligatur, litigantibus præjudicetur, et causa plus æquo protrahatur. Textus, et doctores, in cit. c. *Si is cui*: ubi Vivianus, in *Rationali*, post Geminianum, *ibid.*, n. 1, istud extendit ad casum, quando delegatus, qui subdelegaverat, esset valde remotus: quia militat tunc eadem ratio.

167. III. *Si contra ipsum excipiatur, quod non habuerit potestatem subdelegandi?* — Tertius est: Quando pars citata a subdelegato postmodum excipit, quod non teneatur coram eo respondere, eo quod delegatus ob mortem Papæ re integra supervenientem, vel alia de causa, non habuerit jurisdictionem, et potestatem subdelegandi. Tunc enim si subdelegatus dictam exceptionem admittere recusaverit, pars inde se gravatam sentiens debet appellare, non ad delegatum subdelegantem (hujus enim jurisdictionem jam negavit; simulque, si deberet appellare ad ipsum, cogeretur sibi ipsi esse contraria, atque hoc ipso fateri jurisdictionem ejus, quam antea negaverat), sed ad primum delegantem, seu ad Papam. Textus est in c. *Si a subdelegato*, 14, h. t., in 6, ubi Glossa, et doctores amplius hoc explicant. Alia appellationem a iudice delegato concernentia videantur, hucque applicentur, in proprio titulo, *De Appellationibus*, in scripto.

168. *Conservator, quis?* — Quartus III. Quid sit censendum de conservatoribus, eorumque officio, et qualitatibus? Resp. I. *Conservator* dicitur, qui a Papa datur ad defendendum aliquos adversus injurias, et violentias manifestas, absque indagine judiciali. Ita in re communi; et patet ex cap. 1, et cap. ult., h. t., in 6, ubi ob magnam convenientiam iudicis conservatoris cum delegato, etiam de conservatoribus tractatur.

169. *Solus Papa dat conservatorem, non legatus ipsius.* — Dicitur imprimis, « qui a Papa datur. » Siquidem quoad personas ecclesiasticas, earumque res injuriam patientes, et

conservanda ipsarum jura, solus Papa potest dare conservatorem; non item legatus a latere, aut alius Ecclesiæ prælatus. Emmanuel Rodericus, tom. I, *Quest. regul.*, q. 63, art. 2, citans Joan. Andream, Ancharanum, Francum, et Dominicum; Pirhing, h. t., n. 204; Azorius, et alii.

170. *Et quibus modis? Regulares ex privilegio pontificio possunt eligere conservatores.* — Sive dein Papa concedat clerico cuiquam in particulari conservatorem, datis litteris per modum rescripti, sive det litteras in genere per modum privilegii perpetui; prout diversi Summi Pontifices, ac præsertim Gregorius XV, in sua constitutione, 9, quæ incipit, *Sanctissimus* (ac refertur tomo III, *Bullarii Romani*) concessit regularibus, ut servatis servandis, quæ in bulla citata exprimuntur, possint sibi deputare, atque eligere conservatores, qui habeant facultatem defendendi ejusmodi regulares a manifestis injuriis, ac violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum a suis possessionibus dejiciuntur, et propriis bonis uti, ac frui impediuntur. Fagnanus, in c. *Si Clericus*, n. 36 et seqq., *de Foro compet.*

171. *Officium, et potestas conservatorum, quæ?* — Dicitur ulterius, « ad defendendum aliquos, » etc. Quibus, et subsequenter verbis insinuat officium, et potestas iudicis conservatoris. Attendendo quippe nominis etymologiam, *Conservator* dicitur a verbo *conservare*, quod proprie significat, pristinum jus retinere, l. *Per procuratorem*, in fin. ff. *de Procurat.*, card. Tuschus, litt. C. conclus. 739, n. 1, et alii. Atque hoc ipsum est officium conservatorum, de quibus in proposito, conservare videlicet pristina jura sibi commissorum, defendendo ipsos contra manifestas injurias, ac violentias, quibus a propriis bonis dejiciuntur, suisque pristinis juri- bus uti prohibentur.

172. *Solum defendunt sibi commissos a manifestis injuriis; et quæ poena secus facientium?* — Additur vero, « adversus injurias, et violentias manifestas, absque indagine judiciali, » quia conservatores solum a manifestis injuriis, et violentiis, judicialem indaginem non exigentibus, possunt sibi commissos defendere, cit. cap. 1, h. t., in 6. Et si de aliis se intromiserint, seu ad ea, quæ judicialem indaginem exigunt, suam extenderint potestatem, ipso facto per unum annum ab officio sunt suspensi: et pars, quæ hoc fieri procuravit, excommunicationis sententiam incurrit, a qua non potest absolvi, nisi antea illi,

quem sic indebite fatigavit, integraliter satisfaciatur de expensis; prout habetur, cit. cap. ult. § *Ut autem*, h. t., in 6. Sufficit autem injuriam esse manifestam, sive evidentia facti, sive confessione rei judicialiter facta, c. *Cum olim*, 24, *de Verb. signif.*, et cap. ult., *de Cohabitat. cleric.*, quia neutrum horum ulteriori indagine judicialis indiget.

173. *Quid juris, si citatus objiciat, injuriam non esse manifestam, aut non factam.* — Quod si vero reus a conservatore citatus objiciat injuriam non esse manifestam, aut quod fecit, se jure fecisse: tunc conservator hoc ipsum potest, ac debet cognoscere, inquirendo, ac testes recipiendo super notorietate delicti, eaque cognita ad fundandam suam jurisdictionem pronuntiare delictum, seu injuriam esse manifestam: alioquin processus, atque sententia ipsius, quæ debet fundari super notorio, foret nulla. Abbas, consil. 100, n. 3, lib. I; card. Tuschus, loc. cit. concl. 760, n. 3; Fagnanus, c. *Si clericus*, n. 14, *de Foro compet.*; Layman, in c. *Statuimus*, 1, h. t., in 6, § *Quod si vero*, et alii. Ratio est: quia iudicis est cognoscere posse, an sua sit jurisdictio, ut l. *Si quis ex alieno*, ff. *de Judiciis*. Alioquin quippe inutilis propemodum foret potestas conservatoris, si reo objiciente defectum notorii, potestas ipsius statim maneret ligata, adeo ut nec de ipso cognoscere valeretur. Accedit, quod ubi causa cuiquam committitur, censeatur pariter ea omnia commissa, sine quibus res expediri non potest, c. *Præterea*, 5, h. t., cum concordantiis *ibidem* a Glossa, fin., relatis.

174. *Quæ requirantur, ut quis conservator deputari valeat?* — Resp. II. Ad hoc, ut quis a Sede Apostolica conservator deputari, aut virtute privilegii Apostolici eligi valeat, oportet, ut sit episcopus, aut eo superior prælatus, vel abbas, sive dignitatem vel personatum obtinens in Ecclesia cathedrali, aut collegiata. Item, quod non sit de dominio, seu districtu ecclesiastico vel temporali illius, cui datur conservator: exceptis illis, qui dantur regibus, et reginis. Item, quod non sit conservator conservatoris. Ita habetur decisum in cap. ult. h. t. in 6, ubi plura de conservatoribus, juncto concilio Tridentino, sess. 14, cap. v, *de Reform.* et constitutione 3, Clementis VIII, quæ incipit: *Sanctissimus*: et cit. constitutione 9, Gregorii XV, quæ pariter incipit, *Sanctissimus*, quarum utraque habetur tom. III, *Bullarii Ro-*

mani. De quibus omnibus inter alios late tractat Emman. Rodericus, cit. t. I, *Quæst. regul. q. 65, per viginti articulos.*

TITULUS XXX.

De Officio Legati.

1. *Ratio continuationis titulorum.* — Quandoquidem officium legati partim convenit cum officio delegati, cum uterque gerat vices superioris; partim cum officio ordinarii, cum etiam illius officium sit ordinarium: hinc merito præsens rubrica interponitur inter præcedentem, et subsequentem Titulum. Unde

2. *Legati unde sic dicantur? Oratores, seu ambassiatores, qui?* — Quæritur I. Legati generatim unde, et qui dicantur? Resp. I. *Legati*, ex eo nomen trahunt, quia ut publice mittantur, leguntur, indeque legantur, seu ablegantur. Atque generatim loquendo, istud fit dupliciter: nam aliqui legantur, seu mittuntur a principe, vel republica, ut nuntii, ad referendum videlicet mandata sui principalis, sicque ad exercendum nudum ministerium absque alia jurisdictione. Et tales alio nomine vocantur *Oratores*, vulgo *Ambassiatores*. Atque hi, sive sint amicorum, sive hostium, jure gentium ab injuriis immunes sunt servandi; hoc est, ut veniant, et redeant inviolati, etiamsi perferant atrociam, can. *Jus gentium*, dist. 1.

3. *Legati iudices qui?* — Alii econtra sunt *Legati iudices*, seu qui mittuntur, atque legantur cum jurisdictione ad gubernandam, v. g. certam provinciam loco sui principalis. Et tales, loquendo de jure civili, sunt, legatus proconsulis, et legatus præsidis, de quibus extant proprii tituli, lib. I *Digestorum*, fitque mentio in cap. 1, h. t. in 6, ubi etiam tales legati reputantur ordinarii, atque officium ipsorum ordinarium; prout amplius declarat Glossa ibid. *ŷ. Reputantes*. Verum impresentiarum sermo nobis est dumtaxat de legatis Sedis Apostolicæ: et de his loquendo,

4. *Legati apostolici alii sunt iudices, alii non.* — Quæritur II. Quotuplex sit legatus Apostolicus? Resp. I. Generatim de istis loquendo, imprimis alii sunt *Legati nuntii*, et non iudices: ut illi, quos sæpe Papa

mittit pro aliqua ambassada, vel ad aliquod nudum ministerium exercendum. Alii vero sunt *Legati iudices*, quos nempe Papa mittens facit ordinarios in certa provincia; prout explicat Abbas ad Rubric. h. t. simulque liquere valet ex proxime dictis. Et de his posterioribus tractat præsens titulus, non de prioribus.

5. *Legatus Papæ in quo differat ab ejus delegato?* — Additur notanter « in certa Provincia. » Per hoc siquidem differt legatus Papæ ab ejus delegato: nam delegatus Pontificis dicitur ille, cui una tantum, vel certæ dumtaxat causæ committuntur terminandæ, de quo proinde procedunt dicta tit. præced. Econtra legato competit auctoritas cognoscendi de omnibus causis commissæ sibi provinciæ, tanquam judici ordinario: unde longe major est potestas legati, quam delegati Apostolici. Zoesius, h. t. n. 2.

6. *Legati iudices Sedis Apostolicæ sunt in triplici differentia.* — Resp. II. Legati iudices Sedis Apostolicæ, seu quibus a Summo Pontifice civitas aliqua, vel provincia cum ordinaria potestate committitur gubernanda, sunt in triplici differentia: videlicet legati a latere, legati, missi, seu nuntii Apostolici, et legati nati. Ita communis; atque desumitur ex cap. 1, et c. *Excommunicati*, 9, h. t. et cap. 1, juncta Glossa *ŷ. Legati*, eod. in 6. In quo priori loco fit mentio de legato nato; in altero autem de legato a latere, ac misso, et in tertio de omnibus tribus simul; hoc est, tam de legatis a Papa missis, sive sint de latere, sive non, quam de illis, « qui suarum prætextu Ecclesiarum legationis sibi vendicant dignitatem, » ut sunt legati nati. Et quidem

7. *Legati a latere, qui, et unde sic dicantur?* — *Legati a latere* dicuntur soli cardinales, missi a Summo Pontifice ad obeundum alicubi legationis officium. Et dicuntur, a *Latere*: tum quia cardinales S. R. Ecclesiæ ad latus Pontificis assistunt, ac proin, quando mittuntur, recte vocantur *Legati a Latere*; tum quia Papa et cardinales unum corpus mysticum faciunt, cujus caput est Papa, et membra ejus sunt cardinales, arg. can. *Si quis militibus*, 6, q. 1, ibi: « Nam et ipsi pars corporis nostri sunt. » Unde solis cardinalibus hoc nomen proprie competit, non autem archiepiscopis, episcopis, vel capellanis, in curia Papæ existentibus, et ab ipso missis, ut notat Glossa in c. *Excommunicatis*, *ŷ. Commissam*, h. t.

8. *Legati missi, seu nuntii Apostolici, qui, et a quo constituantur?* — *Legati missi*, seu *Nuntii Apostolici*, dicuntur qui non sunt cardinales, tamen a Papa mittuntur ad aliquam provinciam, vel etiam plures provincias, ut ibi munus legationis obeant. Et tales singillatim constituuntur a Summo Pontifice, communiter tamen prævio consilio cardinalium, arg. c. *Novit. De his quæ fiunt a prælat.*: quamvis etiam sine hoc, ac pro suo arbitrio possit Pontifex cuiquam, quem idoneum judicaverit, officium legationis committere. Vallensis, h. t. § 1, n. 3.

9. *Et quales ad id muneris deputari soleant?* — Licet autem quicumque clerici possint a Papa constitui tales legati, seu nuntii Apostolici; prout liquet in sancto Francisco Xaverio, cum nuntii Apostolici potestate in Indias destinato, et pluribus aliis ex diversis ordinibus ad munus nuntii Apostolici assumptis: ordinarie tamen non nisi prælati, in quibus est Spiritus Dei, ac scientia legis, ad id muneris deputantur, arg. can. *Si ergo*, § fin. 8, q. 1. Siquidem hoc ipsum tendit in debitum respectum, majoremque reverentiam sanctæ Sedis apostolicæ: nam, ubi Papa præsens esse non potest, per eum, qui mittitur, ejus repræsentatur auctoritas, can. *Valde*, dist. 94.

10. *Legati nati, qui et cur sic appellantur? Enumerantur horum aliqui.* — *Legati nati* dicuntur ii, quorum dignitati, quam in Ecclesia obtinent, munus legationis est annexum. Ideoque *Nati* dicuntur, quia simul atque ad talem dignitatem assumuntur, una etiam fiunt, ac veluti nascuntur *Legati apostolici*, utpote cujus munus suæ dignitati annexum habent. Talis legatus natus in Anglia est archiepiscopus Cantuariensis, de quo fit mentio in cap. 1, h. t. et archiepiscopus Eboracensis, cap. 1, *de Appellat.* In Gallia archiepiscopus Rhemensis c. *Per venerabilem*, 13, § *Verum. Qui filii sunt legit.* In Italia Pisanus, in Hispania Toletanus, in Germania Salisburgensis, in Bohemia Pragensis archiepiscopus, et alii alibi, de quibus Azorius part. II, lib. V, cap. xxvii, quæst. 1.

11. *Omnes legati Sedis Apostolicæ habent jurisdictionem ordinariam.* — Quæritur III. Quale sit officium, atque potestas communis omnibus legatis Apostolicis? Resp. I. Quivis legatus Sedis Apostolicæ respectu provinciæ sibi commissæ habet jurisdictionem ordinariam; unde hæc, ipsiusque officium per mortem Papæ legantis non expirat, tametsi

jurisdictione nondum uti cœperit, imo provinciam suam necdum ingressus fuerit. Ita desumitur ex c. *Legatos*, 2, juncta Glossa, *ŷ. Declaramus*, h. t. in 6, ac tradit Layman ibid. n. 1, et alii.

12. *Legati a latere habent se ad instar proconsulum, cæteri ad instar præsidum.* — Ratio est: quia legati Papæ ad aliquam provinciam destinati, habent se ad instar proconsulum, cæterumque præsidum, qui ab Imperatore ad regendam certam provinciam mittuntur, per textum in cit. c. *Legatos*. Atqui proconsules (quibus æquiparantur legati a latere) ac præsides (quibus cæteri legati Sedis Apostolicæ comparantur, juxta Glossam in d. c. *Legatos*, *ŷ. Proconsulum*), habent jurisdictionem ordinariam; ut L. IV, et seqq. ff. *de Offic. proconsul.* et L. III, et seqq. *de Offic. præsid.*; ergo idem dicendum de legatis pontificiis. Accedit, quod legatus Papæ sit, ac esse dicatur legatus Sedis Apostolicæ; ut c. *Dilectus*, 6, et cap. ult. h. t. et alibi passim. Ergo cum ipsa Sedes Apostolica nunquam moriatur, c. *Si gratiose*, 5, *de Rescript.* in 6, haud mirum, quod per obitum Papæ legantis, non expiret officium legati sui.

13. *Nomine legatorum Sedis Apostolicæ, veniunt quicumque legati ejusdem.* — Additur notanter, « Quivis legatus Sedis Apostolicæ, » etc. Nam, quod in provinciis sibi demandatis habeant jurisdictionem ordinariam, convenit omnibus tribus legatorum speciebus proxime enumeratis. Nomine enim *Legatorum Sedis Apostolicæ* simpliciter posito, ac nisi aliunde pateat differentia, veniunt quicumque legati ejusdem; ut cit. Glossa in c. *Statutum*, *ŷ. Legatorum, de Rescript.* in 6, et c. *Privilegium*, *ŷ. Legato, de Verb. signif.* in 6; Abbas, cap. ult. num. 1, h. t.; Vallensis, ibid. § 2, n. 1 et 3.

14. *Officium omnium legatorum, quod?* — Resp. II. Officium omnium dictorum legatorum generatim loquendo est, ut in provinciis sibi commissis nomine Domini Papæ, cujus vices gerunt, *evellani et dissipent vitia: ædificent, et plantent virtutes.* Textus est in cit. c. *Legatos*, juncta Glossa ibidem: et concordat cap. 1, *de Offic. ordinari.* Unde ad ipsorum officium pertinet, supremam quoad spiritalia, atque ecclesiastica negotia inspectionem ibidem habere, principes et populos in fide catholica, et debita sanctæ Sedi Apostolicæ obedientia et reverentia conservare, constitutiones pontificias in usum de-